

LXXIX.

Anno 1324. Crisii.

Nicolaus, totius Slavoniae Banus, generalis congregationis nobilium Regni Slavoniae et denariorum banalium mentionem facit.

Nicolaus banus totius Sclauonie, comes Sopruniensis et de Kaminin, dilectis sibi omnibus presens scriptum inspecturis salutem in salutis amatore. Cum humane mentis discrecione repertum est, vt ea que aguntur in in (sic) tempore, ne cursu temporum elidantur, litterarum testimonio solent confirmari. Proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam thenore presencium harum serie uolumus peruenire, quod nobilis vir magister Jacobus, dictus paruus, in Congregatione nostra generali, quam vna cum nobilibus regni Sclauonie, secunda feria, ex precepto et mandato domini nostri Karoli dei gracia illustris Regis Hungarie, duximus celebrandam; in eadem Congregatione nostra predictus magister Jacobus supredictus, exhibuit nobis litteras priuilegiales Andree quondam Regis Hungarie, et Capituli Chazemensis ecclesie, in quibus conperimus, quod possessio Chanow vocata, in comitatu Crysiensi existens, per eundem emptionis titulo per Matheum filium Nicolai filij Juan predicto paruuo Jacobo pro quinquaginta marcis denariorum banalium *) uenditam fuisse irreuocabiliter et iure perpetuo possidendam. Vnde cum nos litteras prescriptas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua partes (sic) sui corporis viciatas comperimus, nec aliquem contradictorem contra litteras priuilegiales ipsius magistri Jacobi adinuenimus. Preterea predictam possessionem Chanow vocatam, cum omni plenitudine sui iuris, sicut prius, sic et nunc, predicto magistro Jacobo auctoritate presencium duximus roborandam, et eciam confirmandam, prout in Congregatione nostra generali, vna cum nobilibus Regni Sclauonie in Crisio tertia feria ante quindenas Epiphanie domini celebrata, discursum exstitit illud idem. Datum in Crisio tertia feria ante quindenas Epiphanie domini. Anno domini M. C° C° C°. XX quarto.

(L. S.)

Originalis membr. in Archivio Familiae Ferić. Zagrabiae.

*) Denariorum banalium et zagrabiensium in plurimis diplomatibus et literis publicis mentio occurrit.